

Suasioire – Lettre à Jules César

Aurelia Cotta Caesari suo s.

Parve Iuli, care fili, post Vercingetorigem ad Alesiam uictum, de rebus a te gestis non iam audiui. Cur numquam ad me scribis ? Nullum uero tempus habes matri Aureliae ?

O Iuli, tunc pie puer, nunc illustris dux rerum Romanarum, immemor materni amoris. Ego memini iuuentutem tuam, ubi equum ducere discebas die, nocte pulchros crines tuos in sinu tenebam ! Tunc, saepe tibi dicebam quid periculi esset riuum ad domum nostram transire paruo in equo. Nunc, post paucos dies, est in tota Urbe rumor te Rubiconem transgredi parare.

Quid euenit paruo Iulio meo ? Quis furor ? Quae dementia ? Parue Iuli, hoc consilio ad ferrum mortale properas. Hortor moneoque obtestorque ne furore absumaris, ne amorem tuorum obliuiscaris, ne funestum Rubiconem transgrediaris. Alea nondum iacta est !

Multis cum osculis te iubeo ualere.